Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



capitulo diffinitum sine retractatione obseruetur.
Si uero pro diuersitate sententiarum in discordiam causa
eam deuenerit; illud irrefragabile obseruetur, quod
abbas Cystercii et hii qui sanioris consilii et ma-
gis ydonei apparuerint, iudicabunt; hoc ob-
seruato, ut nemo eorum ad quos specialiter causa
respexerit, diffinitioni debeat interesse.

§. Siqua ecclesia pauperiem intolerabilem in-
currerit; abbas loci illius coram omni capitulo
hanc causam studeat intimare: tunc singuli
abbates maximo caritatis igne suuensi illius
ecclesie penuriam, ex rebus a deo sibi collatis
prout habuerint, sustentare festinent.

De electionibus qualiter fiant per ordinem
uniuersum. IIII.

Siqua domus ordinis nostri abbate proprio
fuerit destituta; maior abbas de cuius domo
illa exiuit, omnem curam habeat ordinationis
illius, donec in ea abbas alius eligatur. et prefi-
xa die electionis etiam ex abbatibus siquos do-
mus illa genuit aduocentur, et consilio et uolun-
tate patris abbatis, abbates et monachi domus
illius abbatem eligant. Domus autem Cisterci-
ensis quia mater est omnium nostrum, dum proprio
abbate caruerit, quatuor primi abbates, scilicet
de firmitate, de pontiniaco, de Clarauallе, et
de Morimundo prouideant, et super eos sit cura
domus illius; donec abbas fuerit in ea electus et
statutus. Ad electionem autem Cisterciensis
abbatis prefixa et prenominata die ad minus per
XV dies conuocentur ex abbatibus quorum do-
mus ex Cistercio exierunt, et ex aliis, quos pre-
dicti abbates et fratres cystercienses ydoneos no-
uerint; et congregati in nomine domini abbates
et monachi cistercienses eligant Abbatem.

§. Licet autem cuique matri ecclesie ordinis
nostri non solum de monachis filiarum suarum
ecclesiarum, sed de ipsis quoque abbatibus